

citat; venienti tamen malo quoque prospicere teneatur Medici & curam gerere neutrorum affectuum, quibus non ineptè annumerant quidam obesitatem. Cum quoque preservatione aliàs opus sit, si morbos metuimus, aut adsunt neutri affectus, ne malo ingruenti majori moram concedamus, quò istud vires sumere sive radices agere valeat; ideoque etiam in obesitate adolescente vires medicæ tentandæ sunt, quia eadem aliàs consummata non unò flatu vel levi ope difflatur, sed illius curatio moram exposcit. Verùm rumpo præloquium hoc cum ipsa disertatio plura contineat, quæ obesitatem consideratione & attentione Medici indigere indigitabunt.

CAPUT I.

De nominis consideratione.

Quòd obesi vocem propriè magis, quàm usitatè pro exili atque gracilento olim dixerint, & ἀκέρως ἢ κατ' ἀντιφρασην pro pingvi atque haberi ponunt hodie, constat ex *Aul. Gellii noct. Attic. l. 19. c. 7. Laur. Vallæ post Elegantiar. libros, in errorum Anton. Raudensis annotat. p. m. 604.* aliisque ex autoribus pluribus. Quoad primum valorem volunt quidam obesum æquivalere exeso, circumroso, & macilento; quibus verò obesus valet idem atque crassus ac πῖον, quasi ob edendum factus dicitur, veluti ex *Ambr. Calepini* aliorumque autorum lexicis & locis colligere est. Pro pingvi autem vocem obesi usurpare etiam priscos bonæque Latinitatis autores, in propatulo est. Ab edendo omninò descendere videtur vocabulum obesi, ut paulò ante innuimus, hinc *e* simplici scribunt plurimi obesum; qua licentiâ verò *Fortunat. Fidelis l. a.* atque plures per *e* obesum & *Hier. Mercurialis de decoratione c. 6. p. 16. &c.* per *o* obcesum scribant, non hariolor; nisi literam *e* longam hac ratione exprimere velint: veluti in vocibus quibusdam nonnulli licentiâ ejusmodi scribendi utuntur. Ab obesi verò voce obesitatem, (quæ abundantem corporis pingvedinem denotat) descendere, similia alia vocabula nobis penè persvadent. Sic à suis adjectivis oriuntur: sævitas, solitas, divitas, pusillitas, amaritas,